

www.e-rara.ch

Philosophus irresolutus, sive, Quaestiones universae philosophiae principales

Walser, Iso

[Sankt Gallen], anno 1748

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRM 248

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-28721>

Quaestio III. An logica sit practica, vel speculativa?

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



Ad 3. *D. c.* sunt actus scientifici *entitative*, & *realiter*, & ut sunt actus Logicae docentis con. *formaliter*, & *reduplicative* ut sunt actus Logicae utentis. neg. sic enim non sunt cognitiones rei per causam.

Ad 4. *Con. a. n. c.* quia ut sit actus scientificus debet esse actualis cognitio rei per causam evidentem, qualis non est assensus conclusionis sophisticae.

Fundum præcip. sent 1. Ipsa actualis confectio syllogismi quæ talis non est *speculatio*, & *cognitio veritatis per causam*; ergo habitus ut *inclinans* ad talem actum non est scientia, licet *realiter* sit fortassè scientia.

Fundam. sent 2. Logica docens, & utens non distinguuntur realiter; illa est scientia; ergo & hæc. *item* actus Logicae utentis procedit ex regulis evidenter demonstratis; ergo est scientificus.

QUÆSTIO III.

An Logica sit Practica, vel Speculativa?

SENTENTIA I. Logica est simpliciter speculativa. ita Th. Th. & Scotistæ.

tistæ. Card. de Aguirre. Joannes à
S. Thoma *hic q. 1. a. 4.* Scotus *q. 4.*
prologi §. dico igitur. & 6. met. q. 1. Gou-
din *hic a. 4.* Babenstuber. Renz. & alij.

FUNDAMENTA.

1. Actus intellectûs, quos dirigit
Logica, non sunt *praxes*; cùm non sint
actus *alterius potentia*, quàm intellectûs,
sed puræ speculationes, ergò habi-
tus ad eos inclinans est speculativus,
quòd autem praxis debeat esse actus
alterius potentia, ab intellectu distinctæ,
probatur exinde, quia Aristoteles, S.
Thomas, & Scotus videntur praxim
vocare id, quod vel à potentijs ex-
ternis, vel à voluntate producitur;
ergò cùm nomen praxis sit imposi-
tum actibus voluntatis, non est tribu-
endum actibus intellectûs.

2. Alexander Rufca *q. 1. a. 2.* ita
eruditè probat hanc sententiam :
Omnis scientia, quæ scire quærit prop-
ter scire tanquàm finem ultimum,
est simpliciter speculativa : sed scien-
tia, quæ habet pro ultimato fine vi-
tare ignorantiam, & errores intelle-
ctûs, ultimatè quærit scire propter
sci-



scire; ergò est simpliciter speculativa, atqui Logica intendit vitare errores intellectûs, cùm ad hoc ponatur, ut dirigat illius operationes, ne erret in acquirendis scientijs, ergò &c.

3. habitus metaphysicæ non est practicus, licèt inclinet ad actus intellectûs metaphysicos; ergò nec habitus Logicæ est practicus pariter inclinans ad actus intellectûs.

Nec dicas. Metaphysica inclinatur ad actus intellectûs ut merè *contemplantes* veritates altissimas; econtrà Logica inclinatur ad actus intellectûs ut *dirigibiles*, & *producibiles* juxta regulas Logicas; ergò non est paritas, nam

Contra est 1. Logica *docens* habitus etiam inclinatur ad actus suos merè *contemplativos* Doctrinarum Logicarum, quæ planè sunt veritates speculativæ, Logica *utens* verò inclinatur quidem ad opus, sed solum *speculabile*, & *intellectuale*, non *operabile*, h. e. alterius potentia.

Contra est 2. Etiam habitus metaphysicæ effectivè unà cum intellectu influit in actus suos, & tamen non est practicus; ergò etiam &c.

4. Licèt

4. Licet Mathematica conficiat v. g. astrolabium, est tamen Speculativa, quia confectio hujus operis ordinatur ad cognitionem veritatis; ergo etiam licet Logica conficiat instrumenta sciendi, v. g. Syllogismos, est tamen speculativa, quia hæc omnia ordinantur ad cognoscendas ulteriores veritates.

5. Logica objectum suum tractat resolvendo in sua principia; ergo est speculativa, non practica, alias procederet compositorie.

RESPONSA Aa.

Ad 1. D. a. non sunt praxes *morales* dirigibiles in bonum; con. *artificiosa* h. e. actiones per regulas artis dirigibiles ad verum: neg. *ad rat. additam* neg. definitionem Scoti; quod praxis in genere sit *operatio alterius potentia ab intellectu*, sed est *operatio regulabilis per precepta*.

Ad 2. Dico Logicam quærere scire propter scire, & vitare errores intellectus *per media*, & *actus practicos* h. e. *regulatos per precepta*; idè non est speculativa, sed practica.

B

Ad 3.



Ad 3. *Et resp. data retorſionem 1.* dico tam docentem, quàm utentem Logicam inclinare ad faciendos ſyllogiſmos, h. e. *opus operabile juxta regulas*, ergò ad opus pràcticum.

Ad *retorſionem 2. neg. parit.* quia actus metaphyſicæ ſunt meræ ſpeculationes, & actus ſpeculativi: econtrà actus Logicæ ſunt praxes, quia diriguntur per certas regulas.

Ad 4. *Neg. parit.* quia Mathematica conficit aſtrolabium *per accidens*, & ex fine *ſecundario*, non enim principaliter intendit conficere aſtrolabium, ideò non definit eſſe ſpeculativa: at Logica conficit instrumenta ſciendi *per ſe*, & ex fine *primario*, *principaliter* intento, imò *unico*, ergò cùm illi actus ſint regulabiles per pràcepta, erunt praxes, & Logica pràctica.

Ad 5. *D. a.* tractat reſolutoriè *in ordine ad conficiendos ſyllogiſmos* v. g. con. *ultimatò*, & ſine ulteriori *ordine neg.*

SENTENTIA II. Logica eſt ſimpliciter pràctica. ita eximius Suarez *T. 2. meta. D. 39.* Conimbr. *hic q. 4. a. 5.* Du Hamel *hic q. 3. concl. 2.* Ambroſ. Spinola *q. 1. a. 8.* Semery *D. 1. q. 5.*

a. 3. Fonseca 2. *meta. c. 3. q. 1.* Arriaga D. 3. *subsect. 2.* & alij plures citati à Calaguritano t. 1. d. 2. c. 2. præcipuè RR. quibus consentit Mayr p. 1. n. 247.

FUNDAMENTA.

i. Praxis, ut benè advertit de Racionis in *pralud. log. c. 6.* est duplex : *moralis*, quæ est actus voluntatis dirigibilis ad bonum per præcepta benè vivendi; & *artificiosa*, quæ est actio per regulas artis dirigibilis v. g. ad veri cognitionem : atqui actus intellectûs sunt dirigibiles in verum per regulas; ergò licèt non sint praxes *morales*, sunt tamen praxes *artificiosæ*; consequenter Logica eos dirigens est practica: quòd verò Scotus definiat praxin, quòd sit *operatio alterius potentia ab intellectu*, asserit Maurus l. 1. q. 13. hanc particulam gratis à Scoto additam; ab alijs Authoribus reijci, & praxin definiri, quòd sit *operatio regulabilis per præcepta rationis*: atqui ut diximus, etiam actus intellectûs sunt regulabiles per præcepta Logica; ergò &c.



2. Teste Aristotele 2. *metaph.* 1. scientiæ *speculativa* finis est *veritas*, *practica* autem *opus*: atqui Logica per se, & ex fine primario tendit ad opus, scilicet confectionem modorum sciendi, nec quiescit in contemplatione sui objecti; ergo est *practica*, non *speculativa*.

3. Opus *practicum*, & *operabile* est res *contingens*, accipiens *existentiam* ab artifice: atqui syllogismus v. g. *contingenter*, & liberè fit ab intellectu informato Logicæ habitu; ergo &c.

RESPONSA Aa.

Ad 1. Non sufficere ad praxin, si sit actus dirigibilis per regulas, sed requiri prætereà, ut non sit formalis speculatio veritatis, quod ultimum invenitur in actibus intellectûs, ideò non sunt praxes.

Deinde malunt Th. Th. sequi Aristotelis, S. Thomæ, & Scoti, aliorumque definitionem praxeos, quàm Mauri, & R.R.

Ad 2. D. m. ad opus *speculabile* con. *operabile* neg. m. & conf. *deinde* ipsa confectio modorum sciendi ordinatur

tur ad cognitionem veri; ergò ultimò quiescit in speculatione.

Ad 3. *neg. maj.* quia etiam actus metaphysici *contingenter* accipiunt existentiam ab intellectu, & tamen non sunt opus practicum.

SENTENTIA III. Logica est partim speculativa, partim practica. ita Vasquez 1. p. d. 9. c. 1. Rubio q. 5. proam. Hurtado d. 2. s. 2. Maurus l. 1. q. 13. Calaguritanus t. 1. d. 2. c. 2. Card. Ptolemæus Diff. 6. log. s. 3. in fine. citat Rubio l. cit. pro hac opinione Suarium t. 1. met. d. 44. eamque teste Calaguritano multi alij defendunt.

FUNDAMENTA.

1. Logica habet plures actus verè practicos, & plures speculativos; ergò habitus Logicæ est practicus simul, & speculativus a. pr. quoad 1. Logica habet actus, qui docent, quomodò facienda sit definitio, divisio &c., & qui ad hæc opera ab ipso Logico factibilia per se, & immediatè dirigunt; ergò habet actus practicos. pr. a. quoad 2. in Logica sunt cognitiones, quæ non dirigunt per se ad effectiorem alicujus

objecti; ergò habet actus speculativos. *ant. patet v. g. ex præmissis evidentibus necessario sequi conclusionem evidentem: syllogismum in barbara esse infallibilem, Demonstrationem generare scientiam.*

2. Logica procedit modo *compositorio*, & ordinatur ad dirigendas operationes mentis, efficiendos Syllogismos: ergò est practica, & pariter procedit modo *resolutorio*, & ordinatur in finem speculandi, contemplatur, demonstrat passiones de suo objecto, intendit fugare ignorantiam intellectûs, & sic ordinatur ad verum; ergò est speculativa.

3. Theologia juxta Doctrinam S. Thomæ 1. p. q. 1. a. 4. simul est practica, & speculativa; ergò licèt eidem scientiæ *particulari* non possint convenire differentiæ oppositæ speculativum, & practicum, possunt tamen convenire eidem scientiæ *universali*, qualis est Logica, quæ ordinatur, & ad finem dirigendi operationes intellectûs, & ad finem speculandi naturam, & passiones modi sciendi.

4. Actus Logicæ licèt ordinetur ad cognitionem, & speculationem
veri-

veritatis, & ita fit speculativus, non tamen propterea definit esse operatio directa, & *regulata* per regulas; ergò v. g. confectio syllogismi per hanc *subordinationem* non definit esse actus practicus, sed *respectu objecti*, quod *speculatur*, est speculativus, *respectu regulæ*, à qua *dirigitur*, est practicus.

Dices : sic Logica habebit duos fines, scilicet confectionem operis, & cognitionem veritatis, ergò erit duplex habitus, duplicis speciei scientia.

R. 1. Calaguritanus *l. c. n. 31*. Logicam constare pluribus habitibus, realiter distinctis, quorum unus est speculativus, alter practicus. 2. *Maurus* ait Logicam habere unitatem *imperfectam*, consistentem in quadam continuatione doctrinæ, quatenus speculatio ordinatur ad præcepta practica. 3. *d. a.* habebit duos fines *ultimos* neg. *subordinatos* con. a. n. c. potest ergò dici, *vel* quòd actus practici Logicæ v. g. confectio syllogismi, ordinentur ad speculationem, & cognitionem veritatis in quacunque materia; *vel* quòd actus speculativi saltem ordinentur ad confecti-



onem modorum sciendi, tanquam dispositiones ad perfectam scientiam artificij practici. 4. d. c. erit duplex habitus, *virtualiter* duplex con. *formaliter* duplex neg. idem ergo habitus virtualiter multiplex potest esse practicus, & speculativus respectu diversorum actuum subordinatorum, ad quos inclinatur. 5. Afferit Rubio *l. cit.* Logicam esse speciei *eminentioris*, quae contineat utramque rationem speculativi, & practici.

Hanc sententiam ex instituto refutat Ortiz *Tom. 2. tr. 1. conf. 5. §. 2.* vide etiam Comptonum *d. 10. §. 6.* qui postquam per duas conclusiones probasset in Logica multos esse actus pure speculativos, & multos practicos, demum addit, Logicam simpliciter dici posse practicam, aut latius speculativam, & principalius practicam.

RESPONSA Aa.

Ad 1. R. Th. Th. n. a. & ejus prob. 1. quia opera Logicae sunt actus intellectus, ergo non praxes. R. R. verò ad prob. 2. asserunt, vel quod illi actus non pertineant per se ad Logicam, sed

fed Metaphysicam; vel quòd etiam ju-
vent, & ita ordinentur ad confectio-
nem operis practici; ergò non sunt
meræ speculationes Logicæ. ex quo
patet *ad 2.*

Ad 3. *neg. cons. & parit.* quia juxta
Molinam, Ochamum, Marsilium, &
alios Theologia constat ex pluribus
habitibus partialibus solo numero di-
versis; ergò secundum aliquos habi-
tus potest esse practica, secundum
aliquos speculativa. Econtra Logica
etsi sit scientia universalis, est tamen
unus habitus juxta comuniorem; er-
gò eidem habitui non possunt conve-
nire differentiæ oppositæ. Vide *Cur-
sum Theol. S. Galli To. 1. tr. 1. q. 4.*

Ad 4. 1. *neg. supp.* ad praxin suf-
ficere, si sit actus directus per regu-
las, nisi simul sit actus alterius poten-
tiæ ab intellectu. 2. ratio practici,
vel speculativi desumitur *ex fine ulti-
mo per se intento*; ergò illa subordina-
tio actus regulati; cum *per se* ordi-
netur ad cognitionem veri, tollit ratio-
nem practici.

Ad resp. contra object. ad hoc, ut ali-
quis habitus sit verè practicus, requi-



ritur, ut ordinetur ad confectionem operis *ultimatò*, & ut opus illud non *per se* ordinetur ad speculationem, cum ergò opus Logicum *per se* ordinetur ad cognitionem veri, Logica non erit practica. Ex his

Fundamentum præcipuum sent 2. est: quòd praxis debeat esse actus alterius potentia, quàm intellectus; & quòd Logica ex natura sua ordinetur ad fugandam ignorantiam, & errores intellectus.

Fundam. Sent. 2. Praxin esse actum cujuscunque potentia regulabilem per regulas, & contingenter accipientem existentiam ab artifice.

Fundam. Sent. 3. Actus Logicae ordinantur ad cognitionem veri; ergò sunt speculativi: sunt actus regulati per regulas; ergò practici.

QUÆSTIO IV.

An, & quomodò Logica sit necessaria ad alias scientias.

SENTENTIA I. Logica artificialis est *metaphysicè* necessaria ad alias scientias in statu perfecto, ita ut nec super-